

citur in Deum referri, non quia ipsa excellentia increata Dei sit proxima ratio quæ ad hanc adorationem movet, sed quia in eam tandem terminatur et refunditur, ad eum modum quo Christus Dominus dixit, Matth. 10: *Qui recipit vos, me recipit*; hoc enim exemplo Athanasius et Hieronymus utuntur.

5. *Sancti quomodo adoratione respectiva possint adorari.* — Addere vero ulterius possumus, si Sancti præcise considerentur ut templa in quibus singulari modo Deus habitat, seu prout sunt ad imaginem Dei creati, et per gratiam reformati, et quasi ad vivum depicti, hoc quidem modo posse adorari adoratione respectiva in Dei excellentia proxime fundata; ita ut sicut ratio eligendi medium est finis, ita ratio adorandi templum vivum Dei, sit Deus. De quo modo adorationis eodem modo loquendum erit, quo de adoratione reliquiarum vel imaginum, quam inferius explicabimus. Recte tamen advertunt D. Thom. et Bonavent., quamvis hic modus adorationis possibilis sit, regulariter tamen non esse usurpandum, tum ad vitandum periculum erroris; tum etiam quia, cum Sancti sint per se adorabiles, proprius eorum honor in eorum virtute et sanctitate fundari debet; cum enim aliquid propter extrinsecam rationem adoratur, honor magis pertinet ad personam propter quam tribuitur, quam ad rem in quam terminatur, ut sæpius in sequentibus dicemus.

### SECTIO III.

*Utrum cultus Sanctorum dici possit ad religionem pertinere.*

1. Hæc quæstio proponitur propter hæreticos, qui nullum honorem vel cultum agnoscunt, nisi vel divinum, qui ad latriam pertinent, vel mere humanum et politicum. Quoniam vero hic potest esse dissensio, vel in re theologa, vel in speculativa et metaphysica, vel in modo loquendi, omnia distincte tradenda sunt.

2. *Adoratio Sanctis exhibita non est civilis, sed quodammodo divina.* — Primo, certum sit adorationem hanc, quæ Sanctis datur propter excellentiam supernaturalem, esse perfectionem, et distinctam in specie ab adoratione seu honore civili, qui hominibus propter dignitatem vel potestatem humanam dari solet. Patet, quia virtutes et earum actus ex obiectis distinguuntur; sed excellentia est quasi formale objectum adorationis; sicut ergo ex-

cellentia Sanctorum cum Christo regnantium altioris ordinis est quam omnis humana dignitas vel potentia, ita et adoratio illis debita est perfectior, et specie distincta; non potest ergo hæc adoratio dici civilis vel politica, neque omnino humana in dicto sensu, sed quasi divina per participationem. Nam, sicut Sancti dicuntur Dii per participationem, ita et honor illis debitus potest eandem denominationem suscipere.

3. *Sanctorum cultus cum divino cultu valde conjunctus.* — Secundo, certum sit hunc cultum Sanctorum valde conjunctum esse eum cultu divino, et rebus sacris et ad religionem et cultum Dei spectantibus perfici. Probatur aperte ex traditione Ecclesiæ, quæ Sanctos colere consuevit, primo, dicendo Deo in eorum memoriam et honorem dies sacros, qui, licet primario ad cultum Dei destinentur, tamen in honorem Sanctorum redundant. Ita docet Tertul., lib. de Corona militis, in principio; et Nazianz., orat. 18, quæ est de S. Cypriano, inter multa alia, quæ dicit de honore Sanctorum, annuis honoribus festum illi Sancto celebrari solitum refert. Et orat. 6, coram Gregor. Nysseno, multa habet similia. Cyprianus, epist. 34, alias lib. 4, epist. 5: *Quoties, inquit, dies Martyrum, et passiones anniversaria commemoratione celebramus*, etc. Et Clemens, lib. 4 Constit., cap. 39, ejusdem consuetudinis meminit, quam etiam indicavit Concilium Laodic., dicens, *memorias Martyrum non celebrari in Quadragesima*, et habetur capitulo Non licet, 33, q. 4; et Concil. Toletan. III, cap. 23, præcipitur ut festa Sanctorum religiosis operibus celebrentur, habetur capit. Irreligiosa, de Consecrat., distinct. 3, et eorumdem festorum fit mentio in cap. Conquestus, extra de feriis.

4. *Consuetudo basilicas et templa dicandi in Sanctorum memoriam.* — *Cæsarum Galli ac Juliani fratrum pietas erga Sanctos, studique longe diversa.* — Secundo, honorat Sanctos Ecclesia templis Deo dicatis; quanquam enim hæc primario ad Deum referantur, cui in illis sacrificium offertur, et ut sic templa vel altaria dicantur, secundario vero in memoriam aliquorum Sanctorum, vel ad eorum reliquias honorifice servandas instituta sunt, et ut sic vocari solent, *basilicæ*, seu *Memoriæ martyrum*; et Chrysost., homil. 28 ad Populum, *domos regias, oratorias aedes, et Martyrum monumenta*, appellat. Unde Damasc., lib. 4, cap. 16: *An non, inquit, honorandi sunt qui totius humani generis patronos se profitentur?*

*Honorandi quidem, et ita certe, ut in eorum nomine templa Deo extruamus, dona offeramus, eorum memorias colamus, atque in eis spiritualiter oblectemur.* Et hanc fuisse perpetuam et Apostolicam traditionem, constat ex Epiph., hæres. 69; Ambros., lib. 1, epist. 5; August., lib. 1 de Civit., cap. 1; Gregor., 2 Dialog., cap. 8, et lib. 3, cap. 14; et Leone I, serm. 1 de B. Petro et Paulo; ac denique ex VII Synod., act. 6, tom. 1. Quam consuetudinem auctam et illustratam potissimum fuisse a temporibus Sylvestri et Constantini vulgare est, tum ex iis quæ in 1 tom. Concil., de Sylvestro et Constantino referuntur; tum ex omnibus ecclesiasticis historiis; tum etiam ex antiquis monumentis quæ oculis cernuntur, quæ tam multa sunt, totque miraculis confirmata, ut ex errore aliquo, vel falsa traditione, opinionem, quæ de illis habetur, profectam esse incredibile sit. Unde Concilium Carthaginense V, cap. 14, modum erigendi has ecclesias, et Sanctorum titulos intituendi præscribit. Concilium item Cabilon., cap. ult., quanta reverentia hæc loca sacra tractanda sint, docet. Illud denique, quod Nazianz., orat. 3, quæ est prima contra Julian., memoriæ prodidit, animadversione dignum est, quod ut jucundius fiat, illius verbis referendum censui; habens enim sermonem de tempore quo Gallus et Julianus, diversis quidem studiis, eadem tamen religionis signa præbebant, sic inquit: *Jam sumptuosissimis quoque Martyrum monumentis, et votivorum donorum munificentis, omnibusque aliis rebus quibus divinus timor insignitur, sapientiæ studium, Christique amorem declarabant; alter quidem vere et serio pietatem profitens, alter autem tempus redimens, ac sub mansuetudinis specie atque obtentu, morum pravitatem occultans. Quod quidem ex eo conjicere licebit, neque enim miraculum, quod tunc accidit, silentio prætere queam, utpote memoria imprimis dignum, atque ejusmodi ut impiorum multis documento esse possit. Martyribus (ut diximus) ambo laborabant, munificentique et liberalitate præclare inter se contendebant, tum multarum marum opera, tum multis impensis ædem sacram extruentes. Verum, quoniam non pari voluntate, animique instituto in hoc opus incumbebant, idcirco, neque in eundem finem labor utrique progrediebatur. Etenim alterius hoc est fratris natu majoris, opus perficiebatur, atque ex ratione procedebat, Deo videlicet munus illud libenter admittente, velut Abelis sacrificium, recte et oblatum et divisum; atque*

*hæc oblatio veluti quædam primogeniti consecratio erat. Alterius autem munus, non secus ac Cain sacrificium, Deus Martyrum repudiabat. Itaque ille quidem laborabat, sed terra, quod elaboratum fuerat, excutiebat. Ille vehementius adhuc obnitebatur: hæc hominis ægra pietate præditi fundamenta capere detrectabat, tanquam terræmotum eum quem ipsius scelus allaturum erat, clamans, ac per impiissimi hominis dedecus, Martyres honore afficiens. Tertio, coluntur Sancti ab Ecclesia jejuniis, vigiliis, peregrinationibus, et aliis id genus actionibus, ut late Hieronymus, opus. contra Vigilant.; et Leo Papa, conc. de Feriis 4 temporum; et plura congerit Alanus, dial. 3, a princ., et c. 21; et alia dicemus agentes de reliquiis Sanctorum.*

5. Tertio, hinc (quod ad modum loquendi spectat) merito hic cultus Sanctorum sacer et religiosus dicitur; ut enim eleganter dicit Damas., citato loco: *Quibus rebus Deus colitur, eisdem servi ejus oblectantur, quapropter Psalmis, Hymnis, et canticis spiritualibus Sanctos colimus*; quia ergo hic cultus in religiosis actionibus, et ad pietatem pertinentibus positus est, merito religiosus dicitur. Secundo, quia (ut ex sanctis Patribus præcedenti sectione citatis colligitur) hic cultus Sanctorum ita est cum divino conjunctus, ut ab illo oriatur et imperetur, a quo propterea religiosus nominari potest. Tertio, quia ad spirituale bonum animæ valde confert, tum per se, quia devotionem excitat et auget in nobis circa res sacras; tum etiam beneficia divina per Sanctorum intercessionem nobis impetrando. Propter quod dixit Gregorius Nazianz., in quodam carmine de virtute: *Meminisse Martyrum solum (ut reor) affert salutem*. Quarto denique, quia hic cultus in pura et perfecta sanctitate fundatur; sanctitas vero religioni proxima est; potest ergo hic cultus dici religiosus, saltem per quamdam participationem, ut supra dicebamus.

6. *Objectio.* — At enim dicit aliquis: adoratio Sanctorum beatorum ejusdem rationis est cum adoratione quæ exhibetur homini justo et sancto inter nos viventi, ut aperte docet Adrianus Papa, epist. supra citata, dicens: *Qualis est hic adorationis honor Sanctorum? Profecto non alius quam is quo nos invicem prosequimur, salutantes alterutrum per adorationem et dilectionem*; unde Hieronymus in vita Paulæ, refert illam, cum Sanctos Eremitas inviseret, solitam esse ad eorum pedes devolvi, ac si in singulis Christum ado-



raret. Et ratione ostendi potest, quia gratia et sanctitas, quæ potissimum est hujus adorationis fundamentum, ejusdem rationis est in utrisque; ergo et adoratio ejusdem rationis erit; sola enim differentia in statu beatitudinis non videtur ad distinguendas adorationes sufficiens, quia præcipua ratio hujus adorationis est participatio divinæ naturæ, quæ per gratiam fit, quæ ejusdem rationis est in viatore et beato; ergo et honor, qui illis datur, ejusdem est rationis; sed honor qui datur sanctis viris, eo quod sancti sunt, non videtur dici posse cultus religiosus, neque in his rebus consistere, quibus nos Sanctos coli diximus; ergo neque Sanctorum cultus religiosus censendus erit.

7. *R sponsio.* — Respondetur verum esse has adorationes ad eandem virtutem pertinere, ut rationes factæ probant; dico tamen etiam posse dici religiosum honorem eum, qui vivo homini tribuitur solum intuitu sanctitatis, et supernaturalium donorum, quia ex vera fide et religione proficiscitur, sicut quando honoramus Pontificem, quia est Vicarius Christi, vel Prophetam, aut Evangelicum prædicatorem, quia verba Dei loquitur, ex religione et fide illum veneramur; unde Athanasius supra citatus, in lib. de Virginit., de Sanctis qui inter nos vivunt loquitur, cum dicit: *Si homo justus ædes tuas intraverit, adorabis humi ad pedes illius; Deum enim, qui illum mittit, adorabis.* Et Augustinus, 20 contra Faust., c. 21, sic inquit: *Colimus Martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate passionem paratum esse sentimus.* Addit vero subinde: *Sed illos tanto devotius, quanto securius, post incerta omnia superata, quanto etiam fidentiori laude prædicamus, tam in vita feliciori victores, quam in ista adhuc usque pugnantes?* Quibus posterioribus verbis optime indicavit Augustinus, quamvis species hujus adorationis eadem sit, tamen, sicut status beatorum perfectior est tum in charitate, quia sunt impeccabiles, et omnino securi, tum in cognitione, quia Deum clare ac manifeste intuentur, tum in potestate, quia cum Christo regnant, tum in gradu honoris, quia cum ipso sedent in throno ejus, ut dicitur Apocal. 3, ita perfectioribus actibus et rebus coli debere. Atque hinc fit ut aliis signis et certioribus testimoniis utamur ad honorandos Sanctos, qui jam vitam cum morte commutarunt, quam eos qui adhuc in humanis degunt; quin

potius, etiam inter ipsos mortuos, longe magnum discrimen collocamus; eos enim qui ab Ecclesia canonizati sunt, publico cultu et solemni ritu colimus, et certam ac infallibilem existimationem de eorum sanctitate habemus; alios vero non canonizatos non licet publico cultu, qui nomine totius Ecclesiæ fit, venerari; id enim cap. 1 et 2 de feriis prohibitum est; si tamen aliquo modo certam, quamvis humanam fidem, de eorum felicitate habeamus, eos privatim venerari possumus et orare.

8. *Dubium.* — Quarto, in dubium verti potest an hic cultus possit dici religiosus, quia ab eadem virtute religionis, qua Deum colimus, elicited sit; quod pendet ex dubio metaphysico, an virtus, qua colimus Sanctos, sit distinctus habitus a religione. Et ratio dubitandi esse potest, quia habitus, quo diligimus Deum et Sanctos, est unus et idem, scilicet, charitas, quæ una est, quamvis diligat Deum, quia est bonus per essentialiam, et Sanctos, quia sunt Dii per participationem; ergo idem de religione censendum erit. Responderi potest ex D. Thoma 2. 2, quæst. 103, a. 3, ad 2, negando consequentiam, quia proxima et tota ratio diligendi proximum est ipse Deus, et bonitas ejus: *Non enim, inquit, per charitatem diligimus in proximo nisi Deum, et ideo eadem charitas est qua diligitur Deus et proximus; at vero, cum sit alia ratio serviendi Deo et homini, aut honorandi utrumque, non est eadem virtus latria et dulia.* Sed contra, quia sicut alicujus amoris proximi proxima ratio esse potest divina bonitas, ita etiam alicujus adorationis Sanctorum proxima ratio esse potest divina excellentia, ut supra ostensum est, ubi etiam diximus hujusmodi actum ab eadem virtute, qua Deus colitur, manare, quamvis frequentius non exerceatur circa res quæ per se sunt adorabiles. Rursus, sicut adorantur Sancti alio actu propter intrinsecam sanctitatem supernaturalem creatam, ita propter eandem possunt supernaturaliter amari, et in comparatione istorum actuum tota difficultas consistit; nam etiam hic actus amoris ab eadem charitate elicited, qua Deus super omnia diligitur; ergo eadem ratione ille actus adorationis a virtute religionis procedet. Et confirmatur, quia virtus inclinans ad colendam principalem excellentiam alicujus ordinis, consequenter inclinatur ad omnes participationes ejusdem ordinis, quia hæc ita sunt inter se conjuncta, ut vix possint sejungi. Unde fit, ut fere eisdem actibus ex-

ternis primario colatur Deus, et secundario Sancti, ut in superioribus fuse satis explicatum est.

9. *Responsio ad objectiones.* — Circa hanc difficultatem, Marsil., in 3, q. 8, articulo primo, sentit habitum latriæ et duliæ esse unum et eundem. Quæ sententia plane probabilis est, eique fidem faciunt rationes factæ; nam quas Marsilius adducit, parum aut nihil concludunt, quas ea de causa omittendas duxi, tum etiam ne plus justo in re hac immorarer. Verior tamen est communior sententia, quæ habitus istarum virtutum inter se distinguit, quam tradit aperte D. Thom. 2. 2, q. 81, ubi solum Deum constituit religionis objectum, et q. 102 et 103, ponit alias virtutes ad homines colendos, et differentiam semper constituit inter adorationem et amorem; idem docet Bonavent., in 3, dist. 9, art. 2, q. 4, ubi cæteri doctores, et fere recentiores Theologi, qui de hac materia scripserunt, rem hanc ut certam atque exploratam supponunt. Ratio vero est, quia adoratio per se primo tendit ad excellentiam ut sic; quapropter ubi tanta est diversitas excellentiæ, quanta est inter Deum et creaturam, adorationes et virtutes, quæ sunt earum principia, diversas esse necesse est. Quæ ratio in solutione propositæ difficultatis magis explicabitur.

10. Ad rationem ergo dubitandi supra positam, primo negari potest dilectionis actum, quo amator proximus propter virtutem vel sanctitatem creatam quæ in ipso inhaeret, etiam si supernaturalis sit, a propria virtute charitatis elici, sed a virtute infusa amicitiae humanæ, quæ non est virtus theologica, sed moralis. Cujus solutionis fundamentum probabile quidem est, sed non potest hoc loco satis examinari, ut res postulare videbatur, neque oportet, ne in messem alienam manum mittamus; id vero sine hac sufficienti discussione affirmari aut approbari nequaquam judico expedire, præsertim cum D. Thomas, qui in tribus locis 2. 2, hanc difficultatem tetigit, differentiam inter amorem et adorationem collocare conatus sit. Primum locum jam attigimus. Secundus est in q. 25, art. 1, ad 2, ubi sic inquit: *Amor respicit bonum in communi, honor vero proprium bonum honorati; defertur enim alicui in testimonium propriae virtutis; et ideo diversa quantitas bonitatis diversorum non causat diversitatem specificam in amore, dum modo referantur ad aliquod unum bonum commune; sed honor diversificatur secundum propria bona singulorum.* Ter-

tius locus est in q. 81, art. 4, ad 3, ubi hæc magis explicans dicit: *Objectum amoris est bonum; objectum autem honoris vel reverentiae est aliquid excellens; bonitas autem Dei communicatur creaturæ, non autem excellentia bonitatis ejus. Et ideo charitas, qua diligitur Deus, non est virtus distincta a charitate qua diligitur proximus. Religio autem, qua honoratur Deus, distinguitur a virtutibus quibus honoratur proximus.* In quibus solutionibus illud semper manet obscurum, quia, servata eadem proportionem, eadem ratio diversitatis vel unitatis apparet in utraque virtute, quia sicut amor in communi tendit in bonum in communi, ita honor in communi refertur ad excellentiam in communi; et sicut talis honor, scilicet latria, respicit talem excellentiam, nimirum increatam, ita talis amor, videlicet super omnia, respicit talem bonitatem per essentialiam. Rursus, sicut communicatur homini participatio divinæ bonitatis, ita etiam communicatur participatio divinæ excellentiæ, et sicut non communicatur creaturæ divina excellentia, prout in se est, ita nec communicatur divina bonitas per essentialiam; et ideo sicut non potest creatura latria coli, ita nec super omnia amari. In quo ergo consistit differentia illorum inter se?

11. Fateor rem esse obscuram et difficilem. Duo tamen dici posse videntur, in quibus et res ipsa, et mens D. Thomæ fortasse consistit. Alterum sumitur ex communi ratione amoris et adorationis; amor enim respicit objectum sub ratione quasi absoluta; adoratio vero sub respectiva ratione per comparationem ad honorantem; id est, amor tendit in bonitatem objecti secundum se; adoratio vero in excellentiam alterius, quatenus aliquo modo excedit ipsum adoratorem. Atque hinc fit, ut, sicut Deus habet singularem respectum superioris, incommunicabilem creaturæ, ita religio illum specialiter respiciat, non prout potest cum creatura convenientiam aliquam habere, sed prout singulariter illam excedit; at vero amor non respicit singulari modo hunc excessum, sed bonitatem et communicationem ejus. Cujus signum est, quod amor non tantum est ad alium, sed ad se ipsum; unde Deus ad se charitatem habet, cujus participatio est charitas nostra; non tamen habet religionem qua se veneretur. Hujus rei ratio est, quia potest suam bonitatem respicere sub ratione absoluta, non tamen sub ratione respectiva superioris, seu excellentis.



12. Et hinc oritur altera differentia (quam etiam colligo ex D. Thom. 2. 2. q. 102. art. 2. ad 3), quod religio per se est ad alterum, et ideo per se respicit jus alterius et rationem debiti; jus autem divinum, propter quod a nobis colendus est et adorandus, excellentius est et altioris ordinis, quam omne jus creaturæ, quia in excellentia infinita et supremo quodam dominio incommunicabili creaturæ fundatur, et ideo virtus, quæ hoc debitum Deo persolvit, singularis est, et distincta ab omnibus virtutibus quæ jura seu debita creaturarum respiciunt. Secus vero est in amore, qui nec per se ad alterum tendit, neque in illo ratio debiti consideratur. Cujus signum etiam est, quia propter hanc causam, licet eadem charitate diligamus nos ipsos, parentes, et alios proximos, tamen in ordine ad honorem exhibendum diversæ sunt virtutes, pietatis ad parentes, observantiæ ad principes, dulciæ stricte sumptæ ad dominos; ad seipsum autem nulla est virtus exhibens honorem.

13. Ex his ergo satis constat cur distinguendus sit habitus dulciæ Sanctorum ab habitu religionis seu latriæ, et cur hæc distinctio clarior et certior in adoratione sit quam in amore. Unde tandem concluditur, hunc cultum Sanctorum non dici religiosum, quod a religione elicitus sit, sed propter alias causas supra enumeratas.

## DISPUTATIO LIII,

In duas sectiones distributa.

## DE ADORATIONE CHRISTO EJUSQUE HUMANITATI DEBITA.

Postquam de adoratione Dei, et sanctorum hominum sermonem instituímus, facile erit adorationem Christo Domino debitam explicare. Possumus autem loqui vel de Christo, vel de humanitate ejus. Et de Christo quidem, vel simpliciter, vel in quantum est homo. De his igitur sigillatim dicendum est. Explicabimus autem simul, et unitatem et qualitatem, seu speciem adorationis; hæc enim duo a D. Thom. in his articulis tractata sunt.

## SECTIO I.

An Christus Deus homo adorandus sit perfecta adoratione latriæ.

1. In hac sectione breviter jacenda sunt fidei fundamenta, ut postea possimus ea, quæ

nonnullam dubitationem habent, inquirere. Primo ergo certum est hunc hominem Christum in divina et humana natura subsistentem, adorandum esse illa perfectissima adoratione latriæ, qua tota Trinitas et singulæ personæ divinæ adorantur. Hoc esse de fide constat ex Scripturis, Conciliis et Patribus. Christus enim de se loquens dicit, Joan. 5: *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Et Paul., ad Rom. 14, de Christo exponit illud Isai. 45: *Mihi curvabitur omne genu,* quod de adoratione latriæ soli Deo debita dictum esse constat. Et eodem sensu ad Philip. 2 dicit: *In nomine Jesu omne genu flectatur.* Et Thomas, adorans Christum Joan. 20, dixit: *Dominus meus, et Deus meus.* Et eadem fide cæcus a Christo illuminatus, procidens, adoravit eum, Joan. 9, ut ponderavit Cyrill. Alexand., lib. de Recta fide ad Theodos., circa finem, adjungens illud ad Hebr. 1: *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus;* et de eodem cultu genere intelligunt Patres adorationem a Magis Christo exhibitam, Matth. 2, ut suis mysticis muneribus ipsi satis professi sunt. Denique Apoc. 5 et 22, hoc modo adorant Sancti omnes agnum occisum, atque illi et sedenti in throno simul cantatur ab omnibus, *Benedictio, et honor, et potestas, in secula seculorum.* Definitur denique hæc veritas in Concilio Ephesino, canon. 8, et in epistola Conc. Alexand. ibi recepta, et in V Synod., collat. 8, canon. 9, et VII Synod., act. 6, tom. quinto, versus finem, ubi ex Athanasio, in epist. ad Euphichium, hæc verba referuntur: *Caro, postquam facta fuit regis tegumentum, cum ipso rege ejusdem fit dignitatis, quanquam natura non fuerit talis.* Et alia similia referuntur in edicto Justiniani imperatoris ad Joannem Papam II. Et in sequentibus plura afferemus. Ratione probatur, quia Verbum divinum, seu Christus, in quantum Deus, hac adoratione colendus est, ut supra ostendimus, quia est verus Deus, et æqualis Patri. Unde Augustinus, lib. 1 de Trinit., c. 6, Athanasius, et alii Patres scribentes contra Arianos, ex hac adoratione quam ex Scripturis constat Filio Dei deberi, quasi a signo, seu posteriori concludunt, ipsum esse verum Deum; sed Verbum assumendo carnem non se sua dignitate privavit: ergo etiam Verbo incarnato, seu Christo homini Deo, eadem adoratio debetur, sicut rex, etiam si vilioribus vestibus indutus sit, honore regio tractandus est.

2. Ex hoc principio sequitur aliud etiam de fide certum, scilicet hunc hominem Christum una et eadem adoratione latriæ adorari qua adoratur Deus. Potest autem hæc assertio duplicem habere sensum: prior est, hanc unam adorationem per communicationem saltem idiomatum communem esse Deo et homini, et hic sensus est certus et clarus, ac imprimis definitus contra Nestorium in citatis locis. Cum enim Nestorius secundum subsistentiam distingueret Christum a Verbo, consequenter negabat Christum adorari eadem adoratione qua Verbum, sed quodammodo coadorari propter accidentariam unionem. Concilia vero negant coadorari, et definiunt per se ac vere adorari, quia, sicut non distinguitur personaliter a Verbo, ita nec potest adoratione sejungi. Ex hoc vero sensu solum habetur, hunc hominem quoad suppositum ipsum adorari hac adoratione, non vero quod hæc adoratio aliquo modo comprehendat humanitatem ipsam; ut, si rex sit peccator, qui adoratur regem, adoratur peccatorem quoad suppositum ipsum; adoratio tamen non extenditur ullo modo, nec redundat in ipsum peccatum. Posterior ergo sensus hujus assertionis esse potest, hac una adoratione latriæ ita adorari Deum hominem, ut in ipsam etiam humanitatem redundet adoratio. Et hic sensus difficilior est, quia obscurum explicatu est, quomodo humanitas, cum etiam post unionem sit creatura, adorari ullo modo possit eadem adoratione perfectæ latriæ qua Verbum adoratur. Sed de hac difficultate commodius ac fusius dicemus sectione sequenti.

## SECTIO II.

Utrum Christus, in quantum homo, adoretur adoratione latriæ, ita ut eadem adoratione colatur humanitas.

1. Ratio dubitandi est, quia humanitas Christi non potest adorari latria sicut divinitas; ergo Christus, in quantum homo, non adoratur latria. Antecedens patet, quia, licet humanitas sit unita Verbo, nunquam tamen est æqualis in excellentia et dignitate ipsi divinæ naturæ; ergo neque æquali adoratione colenda est. Et confirmatur primo, quia Christus, ut homo, non est Deus, nec finis ultimus, nec supremum bonum nostrum, et ideo ut sic non est diligendus super omnia; ergo eadem ratione neque est latria adorandus; est enim eadem ratio, nam latriæ

actus, verbi gratia, sacrificium, procedit ex hac existimatione, quod is, cui offertur, est finis ultimus, et primum principium rerum omnium; loquor enim de latria perfecta et absoluta, non de respectiva et imperfecta. Confirmatur secundo, et explicatur. Angelus enim, verbi gratia, ante incarnationem adorabat Verbum latria, et nunc etiam adoratur; interrogo igitur an eodem omnino actu nunc adoret quo antea, necne; nam si est idem, ergo illa adoratio non communicatur carni, quia actus finitus, si in se non est mutatus, neque auctus, non potest uno tempore plura objecta attingere, quam alio. Si autem actus non est omnino idem, oportet ut vel sit actus distinctus, vel ut aliquod augmentum seu additio facta sit tali actui; quidquid vero illud sit quod additum est, non potest esse ejusdem perfectionis in ratione latriæ, quia (ut dictum est) non procedit ex tam perfecta existimatione humanitatis assumptæ, quanta est ipsiusmet divinitatis, quia humanitas unita inferior est divinitate: ergo, proprie et formaliter loquendo, Christus ut homo non adoratur perfecta latria.

2. Ut respondeamus huic quæstioni, oportet distinguere duplicem sensum ejus; nam illa particula, *in quantum*, potest et reduplicative et specificative sumi; et priori modo inquiritur causa, et ratio hujus adorationis latriæ, an, scilicet, possit esse ipsa humanitas, includendo in humanitate dona supernaturalia, et gratias in illa existentes; nam de sola ac nuda natura præcise sumpta, per se notum est non posse esse rationem hujus adorationis. Posteriori autem modo inquiritur tantum an humanitas sit saltem res adorata prædicta adoratione. Unde distinguere etiam oportet rem adoratam, quæ dici potest materia circa quam versatur adoratio, et rationem adorandi, quæ (ut diximus) est aliqua excellentia interdum intrinseca, interdum vero extrinseca, ut in adoratione respectiva, quæ fit per habitudinem ad aliud. Inter quos modos est differentia, quia quando excellentia est intrinseca, et veluti pars rei adoratæ, simul esse potest ratio adorandi, et res adorata; recte enim fieri potest ut idem sit, quod est, et quo est, præsertim in simplicibus; at vero quando ratio est extrinseca, non oportet ut semper sit proprie adorationis materia. Rursus in ipsa adorationis materia oportet distinguere id quod per se primo adoratur, et id quod in alio coadoratur. Primo enim ac per se adoratur persona, ut D. Thomas dixit, quod ve-